

INSTITUTIONES  
JURIS CANONICI

IN TRES PARTES,  
AC SEX TOMOS DISTRIBUTÆ,

QUIBUS

Vetus & nova Ecclesiæ disciplina & mu-  
tationum caussæ enarrantur,

A DOMINICO CAVALLARIO

JURIS CANONICI ET CIVILIS PROFESSORE  
CONSCRIPTÆ.

TOMUS SEXTUS,



BASSANI, MDCCXCVI.

PROSTANT  
VENETIIS APUD REMONDINI.  
SUPERIORUM PERMISSU.



# INDEX

## CAPITUM TERTIÆ PARTIS

### TOMI SEXTI.

---

CAP. XX.

**D**E judiciis & eorum ordine genera-  
tim. 5

CAP. XXI.

*De ordinario judicio civili ecclesiastico*,  
& in primis de in jus vocatione. 14

CAP. XXII.

*De contumacibus*. 22

CAP. XXIII.

*De exceptionibus* & mutuis petitioni-  
bus. 24

CAP. XXIV.

*De litis contestatione*. 31

CAP. XXV.

*De jurejurando propter calumniam*. 35

CAP. XXVI.

*De probationibus*. 40

CAP. XXVII.

*De summario judicio ecclesiastico*. 60

CAP. XXVIII.

*De veteri judicio criminali ecclesiasti-  
co*. 62

CAP. XXIX.

*De purgatione canonica & vulgari*. 70

CAP. XXX.

*De hodierno judicio criminali ecclesiasti-  
co*. 83

CAP. XXXI.

*De sententia & re judicata*. 101

CAP. XXXII.

*De sententiae execuzione*. 110

CAP. XXXIII.

*De appellationibus*. 115

CAP. XXXIV.

*De appellationibus tanquam ab abusu  
seu de regia protectione*. 144

CAP. XXXV.

*De in integrum restituzione*. 162

CAP. XXXVI.

*De criminibus ecclesiasticis, & primum  
de apostasia*. 170

CAP. XXXVII.

*De heresi*. 183

CAP. XXXVIII.

*De schismate*. 199

CAP. XXXIX.

*De simonia*. 205

# INSTITUTIONES JURIS CANONICI

PARS III. TOM. VI.

## CAPUT XX.

*De judiciis & eorum ordine generatim.*

*Judicij descriptio.*

§. I. **L**eges in republica & canones in ecclesia nullius essent usus, nisi per judicia ad dirimendas controversias applicarentur. Judicij nomine venit legitima discussio inter actorem & reum apud judicem competentem litis finienda vel maleficii puniendi causa. Convenit hæc definitio non minus civili, quam ecclesiastico externi fori judicio; nam in foro interno ex nova disciplina tantum judex & reus judicio adsanct. Ita in quodlibet externi fori judicio judex, actor & reus interveniunt; at certe judicia estimantur & censentur a solis iudicibus, qui juris, de quo partes experiuntur & concertant, disceptatores legitimí sunt. Jus enim, ut ait Tullius (a), judicij finis est; ex quo etiam nomen, nimirum quasi *juridicium*, ut Cassiodorus observat, late accepto judicij nomine etiam pro nuda cognitione, quam pedarii judices habent (b).

*Judicia alia ecclesiastica, alia sacerdotalia.*

§. II. Multæ sunt judiciorum species pro varia negotiorum, quæ disceptantur, indole, & pro varia, qua insti-tuuntur, ratione. Principio judicium aliud est ecclesiasticum, aliud sacerdotale. Ecclesiasticum in foro ecclesiæ disceptat causas ecclesiasticas, sive illæ mere spirituales sint, quæ natura sua subjacent ecclesiæ cognitioni; sive

(a) *Tull. in Topic.*

(b) *Cassiod. variav. XI. Conf. Cujac. ad tit. decretal. de judiciis in principi.*